DE NONNVLLIS SCIENTIARVM GRADIBVS THEOREMATA:

D. ALPHONSI BOVOSII
Can. Reg. Congreg. S. Saluatoris.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Apud Vincentium Accoltum, In Burgo. 1588.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS. D. HIERONYMO

CARD. DE RVVERE
Prodefenſori Optimo.

Alphonſus Bouoſius Bonon. Can. Reg. M. S.

OPTABAM iampridem aliquid habere in penu quodã modo librorũ meorũ, Card. ampliſs. dignum, tuæ amplitudini quod offerrem, ut mei erga te cultus, & obſeruantiæ, aliquod omnino ſignum extaret, & monimentum. Ac reſpondit ſanè votis meis anno ſuperiori curſus rerum, & exitus vſque adeo, lucubrationes vt aliquot meas dicarem nomini clariſſimo tuo potuerim. At nunc, longe ſecus agi mecum intelligo, quomodo enim, occaſio ſe

 mihi

mihi tum obtulit nō aſpernenda, tibi de meo non nihil largiendi, ſic in praſentia quamobrem à te viciſsim aliquid poſtulem, magna cauſa eſt. Nam cum ex Patrum decreto, mihi quoque in Vrbe veniēdum ſit in apertum illud litterarum certamen, & quaſi verborum conflictum, ſpinoſum, atque vmbratilem, alias id genus commentationes denuo ſum coactus meditari, & excogitare; eas vero nolebam, niſi fortiſsimi alicuius viri patrocinio, tamquam clypeo munitas, emanare in vulgus. is autem vir tu eras, quem ego, etiam aliquanto ante ſumpſerā, adductus quodam inſtinctu meo, quem vt patronum, & diligerem ante omnes mirabiliter, & obſeruarem. Tu ergo huiuſmodi, vt labores meos, tuearis, tam rogo te, atque obteſtor, quam poſſum vehementiſsime, humaniſsimū principem, à nulloq; alienum genere artium optimarum. Nec me interea tamen, cum iſta parabam, fugiebat, quanta negociorum mole opprimereris, quāta magnitudine rerum, varietateq; maximarū: ſed idem noueram ex aduerſo, quantum de ſuo tibi natura largita fuiſſet. Quapropter, ſi quid magnis illis ex occupationibus tuis ſurripueris temporis, quod lectioni tribuas vigiliarum mearum,

id ego

id ego in summi parte beneficij numerabo; tantum abest, ego te mihi vt putem hac ratione deuinctum iri. Hanc igitur de scientiarum gradibus nonnullis tractationem meam tibi Patrono meo, quam donare ausus sum, oro te, vt accipias eo animo, quo solent tui similes illustrissimi viri, ac reges quoque ipsi res leuiores, sed multum amoris, multum obseruantiæ præseferentes. Vale. Deus te, ac tuos, & sibi, & tibi, & nobis incolumes tueatur.

DE CONTEMPLATIONE THEOLOGICA

GRADVS PRIMVS.

SACRAM Theologiam(Cardinalis Amplissime)eam quam diuinum bonum Ecclesia electorum singulari munere accepit,etsi Dei naturam,& proprietates per principia ea inuestigat, quæ sunt homini diuinitus reuelata (reuelationem porro,Theologorum more,hic accipio , quæ hominis , & captum superat, & ingenium) scientiam esse semper noui, quæ docet , quidnam natura diuina sit , & quæ naturæ eius vires , ac proprietates . enimvero si nobis ita perspicua, ac dilucida forent principia , e quibus illa colligitur , vt obscura,operta,atque inuoluta,nihilo secius suum hæc disciplina, & nomen , & rationem tueretur ; ac reuera, si modo Aristoteles viueret, non aliud nomen inueniret,quo Theologiam aptius,& congruentius appellaret.nam fidem dicere, quæ non auctoritati proximè, sed rationi,& syllogismo innitatur,absurdum est.Deus igitur est doctrinæ huic obiectum,subiectumq. propositum, & qua si versanda materia; his enim modis res, quam facultas quælibet mente tractandam,cognoscendamq. proponit,à philosophis appellatur . Formalis autē ratio eius non est vna,& simplex, sed duplex & bipartita. est nanque ratio formalis rei obiectæ, quia res est,quomodo deitas ratio dicitur . est item ratio rei,vt mentem ad assentiendum mouet,quemadmodum veritas prima

reuelans,

reuelans, Theologiæ ratio. sic rationes videndi intelligimus, & colorem, & lucem. colorem quidem priore modo, lucem autem posteriore. Atque illam quidem vocant ratione quæ, hanc vero rationem sub qua. Quia autē de ratione formali rei huic doctrinæ subiectæ, quia res est, nulla esse potest inter viros doctos controuersia, de ratione formali ex parte habitus, & potentiæ cognoscentis statuimus, esse reuelatum à Deo, lumenve diuinitus infusum, rationem esse Theologiæ formaliter. Finis primarius quidē est naturæ diuinæ notio, & contēplatio per Dei potentias, virtutes, & proprietates explicata; postremus autem, earum rerum actio, quæ ad mores sunt, ac benè, beateq́. viuendum necessariæ. & sicut anima rationalis, quod formarum omnium præstantissima sit vires, excellenter habet, dicam & formaliter, sentiendi, & vigendi; sed in ea tamen uis intelligendi prima, eademq́. præcipua est, in hunc modum Theologiam muneribus vtrisq; formaliter, & eminēter fungi, speculandi, & agendi scienter, ac peritè tradūt, quāuis magis speculetur, quā agat. Verum enim vero cū disciplina omnis quosdam habeat fontes, quos scientiæ principia dicimus, quosdam deinceps riuulos, quos quasi scientiæ fines, conclusiones appellamus, necesse est Theologo scire ante omnia, quæ nam facultatis suæ causæ, & principia sint, quæ effecta causis illis principijsq́. connexa. Principia verò Theologîæ primum cognoscenda sunt: nam his cognitis, multo facilius extrema intelligemus. at disciplinarum principia non eodem gradu locata sunt omnia. quædam enim simpliciter prima sunt, quæ vi sua generali cætera continent, vt in metaphysicis illud, Impossibile est simul affirmare, & negare. qualia in Theologia sunt illa, Deus est, Deus est remunerator inquirentium se, in quibus tanquam in primis credibilibus omnes fidei articuli implicitè continentur. alia sunt principia præcipua quidem, & immediata, sed contractiora tamen, quam illa communia, quæ erant cæterorum omniū quasi fontes. huius generis in physicis ea sunt, res naturales ma-

les materia,formaq.constare. Naturam esse principium motus,& quietis. In Theologia vero articuli fidei capitales, qui primo,& per se credendi,fidelibus proponuntur.nimirũ enim de Deo, qui est res Theologiæ subiecta, ea articuli enunciant, quæ vel ex perpetua æternitate in Deo in sunt, vel humanæ salutis ergo disposita in tempore, ac dispensata sunt. Eundem quippe Deum,qui trinus, & vnus est, qui creauit mundum,qui & impios facit iustos,& fœlices pios: eundem, inquam,credimus & hominem factum,& natum, & mortuum,& sepultum,& suscitatum,& eleuatum in cœlos. Iure igitur hæc prima sunt, & propria Theologiæ pronunciata, quæ à nobis de subiecto disciplinæ nostræ vel maxime supponuntur. Initijs enim his principalibus non concessis, Theologus progredi ne digitum quidem potest. ac sunt priora illa similia ijs, quas Philosophus appellat Dignitates; vt, Accedentẽ ad Deũ oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. At hæc posteriora principia Suppositiones Theologiæ nõ iniuria vocabuntur. eas enim Theologus discipulo suadere quodammodo,aut explicare certè valet.Sed præter hæc duo principiorum genera, sunt alia non propter se potissimũ petita, sed eorũ, quæ sunt potissima, explicandorum gratia. cuiusmodi sunt,præter articulos fidei,omnia,quæ in sacris litteris assumuntur, vel Dei natura,& maiestate explicanda, vel exponenda ipsius in homines beniuolentia, rerumq́. omnium procreatione, quæ illis essent vtiles,& necessariæ.hæc vero tametsi nõ fidei sunt,nec Theologiæ præcipua capita,sed ijs ex accidẽti coniuncta, & quasi principia secundaria, accipit tamen ea Theologus, non aliter ac Phisicus principia per se nota, sine medio,&ratione,perinde atq; articulos fidei acceperat. hæc enim quasi naturalis, atque insita in animis, fidelium notio inest,vt quicquid ab Apostolis sumptum traditumq. est, verũ esse sentiant. ac Theologiæ legitima, germanaq. principia hæc sunt. effecta vero, conclusiones omnes, quas ordine disciplinæ, ex prioribus illis colligere, & deffinire

possumus, quæ Deus ecclesiæ suæ, aut verbo edidit, aut scripto. Quibus breuiter sic explicatis ista perspicue satis, & plane disputanda proponuntur.

THEOREMATA.

1 *Theologia per principia diuinitus tradita scientiæ appellationem propriè sibi vendicat.*

2 *Eidem accidit, vt principia sua sint obscure à nobis cognita.*

3 *Deus ipse est Doctrinæ huic subiectum, & obiectũ.*

4 *Formalis ratio quæ, est Deitas ipsa.*

5 *Sub qua, diuina reuelatio.*

6 *Finis primarius naturæ diuinæ notio.*

7 *Postremus, rerum actio, quæ ad Beatitudinem necessario conducunt.*

8 *Eius principia simpliciter prima, & generalia, Deus est, Deus est remunerator.*

9 *Præcipua, & immediata, articuli fidei capitales.*

10 *Priora quidem illa Dignitates, posteriora hæc Suppositiones non iniuria vocantur.*

11 *Quibus ex accidenti, velut principia quædam secundaria, coniuncta sunt omnia, quæ in sacris litteris assumuntur.*

12 *Effecta Theologiæ, conclusiones eæ videntur, quas ex articulis fidei colligere, aut deffinire possumus.*

Cuiusmodi

13 *Cuiusmodi, cum in nobis euidentiam aut, firmitatē non habeant, ex principijs scientiam parere nō valent.*

14 *Unde nec Theologia ipsa Uiatorum scientia ulla proprie dijudicanda erit.*

15 *At nec fides proculdubio.*

16 *Minus vero subalternatur scientiæ Beatorum.*

DE CONTEMPLATIONE TRANSNATVRALI. SEV METHAPHISICA.

GRADVS SECVNDVS.

Etsi veram fœlicitatem non habeat superna illa, ac supercælestia contemplando animus tanta mole corporis onustus, ac penè obrutus; corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficilem æstimamus, quæ in terrâ sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quæ in cælis sunt autem, quis inuestigabit? nihilominus miranda illa, & digna Aristotelis sententia iure viget apud omnes, qua in contemplatione rerum supernarum summum hominis naturale bonum collocauit. cum enim pluribus homo delectari videatur bonis, tum præcipue in illis Metaphysicæ contemplationis iocundatur excessibus, quibus humana ratio, quandiu hic viuit, mentibus corpore solutis, & beata vita degentibus consociari videtur. etenim cum de Deo sermonem dupliciter habere va-

leamus; aut quia principium eſt, finisque naturæ, aut quia ſupra naturam eſt,& principium,& finis. ſi conſideremus Deum ipſum potiore quodam lumine nobis oſtēſum, quo apparet in vna Deitate trinus, in effectis ſupra naturam admirabilis,omnium eiuſmodi effectorum ſupernaturalium, & prima cauſa efficiens, & poſtremus finis: atque adeo creaturæ rationalis vna,& ſumma fælicitas; tunc ratio Dei ſupra naturæ vires poſita, ſacram Theologiam petit. Quamdiu vero præſtātem,æternamq.mentem intelligimus ſolutam à corpore,& liberam,ſegregatam ab omni concretione mortali, quæ omnia ſentiat, & moueat, quæ cœlum,ac terras, tueatur & regat, ad quam res vniuerſæ quoquo modo poſſunt,contendant,& enitatur,vt veniant,tandiu Deum naturaliter intelligimus, tandiu de eo naturaliter loquimur, tandiu metaphyſicè operamur. Eſt igitur Metaphyſica (quoniam prima conſideratio eorum, quæ ad cuiuſque ſcientiæ conſtituitonem ſpectant, proprij eius ſubiecti eſt)ſcientia,qua per rationem naturæ ad diuina eleuamur;ac propterea non immeritò eam Stagirita nominauit Sapientiam, quæ eſt communis, & vniuerſa cognitio eorum,quæ ſunt per altiſſimas cauſas. Sane quidem anguſta eſt, fluxa,infirma,& quaſi infidelis mentis noſtræ acies, ac non aliter ad ea,quæ manifeſtiſſima ſunt attingens, quã noctuæ oculi ad fulgorem ſolis; ſed nihilominus ſi ea abſolute, ac ſimpliciter ſpectetur, etiam mathematicas ſcientias demonſtrandi certitudine, ac perfectione longe ſuperat,ac vincit. degit enim in rebus non modo ſimpliciſſimis, & ſuapte natura nobiliſſimis; ſed etiam maxime omnium ſtabilibus, vt pote omnis materiæ, ac mutationis expertibus. Qua de cauſa Ariſtoteles in præfatione ſuæ facultatis Metaphyſicæ ait, hanc ſcientiam non eſſe humanam poſſeſſionem; & rurſus,à ſolo Deo, maxime poſſideri, à nobis autem per exiguo tempore.Et,quis eam neget præſtantiſſimã eſſe ſciẽtiam,maximoq. honore dignam,quæ prima principia, primas, perpetuas, immutabileſq. ſubſtantias,

quæ

quæ à ſenſibus,& intelligentia noſtra ob ſui excellentiam remotiſſimæ ſunt, ac demum totam entis latitudinem,qua ens rimatur,ac percurrit? Deinde vero, etſi dignitas,& præſtantia ſcientiarum, tam ex certitudine oſtendendi, quàm ex præſtantia ſubiectorum, ſumi poteſt; attamē niſi cætera paria,non eſſe eam ſimpliciter, & abſolute colligendam ex gradibus firmitatis (alioquin exquiſitiſſima facultas rei nullius plane roboris eſſet nobiliſſima, quod nemo dixerit) ſed ex præſtantia ſubiectorum,vt idemmet Philoſophus 2. huius operis, cum iudicat præſtantiorem, ſeu deteriorem ſcientiam, ex ſubiecto ſic appellandam aſſerit. nulla interim facta mentione de ea nobilitate, quæ ex demonſtrandi ratione ducitur. Hinc illud natum eſt, quod idem primo de partibus animalium in hanc ſententiam ſcriptum reliquit: Res illas ſuperiores, etſi eas leuiter attingamus; tamen ob earum exceilentiam nos amplius oblectari, quàm hæc inferiora,quæ omnia nobis iuncta tenemus.Cæterum, ſi vtilitates & fructus rerū ex ſupremo fine æſtimandi ſunt, quo ad illum magis cōferunt, eo verè vtiliores meritò cenſeri debent. quænam vero humana ſcientia magis ducit hominem ad altiſſimarum rerum cōtemplationem, in qua præcipuè humana fœlicitas conſiſtit; quàm ea, cuius eſt præcipuum munus & officium, earum cognitionem exquirere? mitto quod vnum illud ad eius vtilitatem commendandam ſatis eſſet,quòd maximum eiuſdem appetitum na turæ auctor hominibus indidit, à qua ſententia Ariſtot.demum hoc ipſum opus exorditur:neque.n. fruſtra,ſed maximi potius alicuius emolumenti cauſa huius modi propenſio hu manæ naturæ ingenita eſt. Qui bus breuiter explicati iſta præcipue diſputanda proponuntur.

THEO-

THEOREMATA.

1 Metaphysica est communis, & vniuersa cognitio eorum, quæ sunt per altissimas causas.

2 Est perfecta naturalis cõtemplatio Diuinorũ.

3 Obiectum eius adæquatum est entis tota latitudo.

4 Ratio formalis quæ, ens est.

5 Principale verò obiectum primæ, perpetuæ, immutabilesq. substantiæ.

6 Ad quas intellectus nostri acies leuiter attingit.

7 Se habet enim intuitus humanus ad manifestissima naturæ, vt oculus noctuæ ad fulgorem solis.

8 Vnde (obiter) Peripatetici statuẽtes rerum supernarum humanam contemplationem per naturæ vires extremum esse hominis bonum falsi sunt.

9 Primitate certitudinis, & materiæ subiectæ dignitate Metaphysica præstat omnibus.

10 Sed eius dignitas ex obiecto præcipuè desumitur.

11 De quo præstantiam,

12 Aeternitatem,

13 Solutionem à corpore,

14 Secretionemq. ab omni corpore prædicat.

15 Quod omnia mouet

16 Quod cælum tuetur & regit,

18 Ad quod demum inferiores mentes contendunt, vt perueniant.

19 Humanam mentem, etiam quandiu hic viuitur, rerum cognitione torqueri, quis ignorat?

DE

DE CONTEMPLATIONE NATVRALI SEV PHYSICA.

GRADVS TERTIVS.

HVmanum Physiologiæ munus in considera-tione, & admiratione versari rerum corpo-ralium, quæ per quinque sensus corporeos ingrediuntur ad animum, & motionis, vel quietis intus virtute prædita sunt; vel eo maxime constat, quod, ab hoc, quasi rudes debere mortales incipere, vt possint paulatim ad altiora ceu quibusdam profectionum gradibus ascendere, natu-ra duce didicerunt omnes. quando enim rerum istarum vi sibilium, forma & imago in considerationē adducitur: cum obstupescentes attendimus, & attendentes obstupescimus, corporalia ista, quæ sensu corporeo haurimus, quàm sint multa, quàm magna, quàm diuersa, quàm pulchra vet io-cunda, in his omnibus supereminentis illius essentiæ diui-næ potentiam, sapientiam, munificentiam, & mirando ve-neramur, & venerando miramur. Ita vt Physicā scientiam spiritualem quandam mundi imaginem iure dicamus, per quam vniuersa mortalia corpora, quæq. motionis habent, & quietis initium speculantur. an homini quidem scientia rerū contingat, quæ res varietati, incōstantiæ, permutatio-niq. sunt obnoxiæ, ipsi Veteres inconstātia rerū hac munda narū perterriti vehementissime dubitarunt; attamen quan-uis corruptibilium entium, quatenus corruptibilia sunt; hoc est, quatenus singularia non sit scientia, in huiusmodi rebus vis ipsa intelligendi prædicata quædā reperit vniuer salia, & necessaria, quibus, colligendo, atque ad rationem

scien-

ſcientiæ reuocando, adiſcit. Et quamuis naturalia entia nō ſemper, ac perpetuò contingant eodem planè modo, ſed interdum à naturali ſtatu, & ordine ſuo deficiant, tamen hoc ipſum phyſicum non latet ingenium. quippe Phyſiologia docet rerum caducarum, atq. mortalium hoc eſſe ingenium, vt licet ferè ita eueniant, tamen aliquando à fine & ſcopo ſuo naturali aberrent; quid, quomodo, quando, cur, aut in quibus rebus contingat, idem phyſicus verè, ac diligenter explanat. ſanè quidem ea mihi maxime probatur, & ad veritatis ſimilitudinem videtur eſſe propenſior opinio, quæ Ariſtot. auctorem inter cæteros philoſophiæ veteris viros, tamquam præ aliis humana ſapientia fulgentem, inſequitur, quia tamen præcipua eius doctrinæ firmamenta, materiæ æternitas, motus, mūdi, & id genus alia plura veritati repugnantia non arrident, quæ Pererius vir alioquin clariſſimus noſtra tēpeſtate perſequitur, perſpicuum eſt abſolutè, & in totum (vt eius vtar verbis) rationem ſcientiæ non habere eam doctrinam Ariſtotelis, quam in Phyſicis profitetur. Cæterum conſtituto ſubiecto philoſophiæ naturalis eius cauſæ, affectiones, & ſpecies, oportet generatim exponantur. Cauſæ rerum naturalium quaternario numero ſunt contentæ. Materia, ex qua prima conſtante, atque manente omnia, non per accidens, fiunt eo modo, quo ex priuatione res procreari dicuntur; Efficiens, à quo fiunt; Finis, cuius gratia fiunt; ac demum Forma, propter quam ſunt id quod ſunt. Materia duplex eſt, vna ſublunarium rerum, quæ licet ſit potentia ſubſtantialiter, proprio tamen viget actu; altera cæleſtium particeps quidem quodammodo potentiæ, ex alia tamen parte, ita vt ſuæ naturæ actu, vt de propria ſpecie, aut forma mutari minime poſſit. Efficiens duplex, mouens non motum, veluti eſt intelligentia; mouens motum, veluti cælum. Finis item duplex eſt, vnus generationis, alter rei genitæ; ille eſt forma, quæ per generationem acquiritur, hic perfecta operatio eius. forma, vna ſubſtantialis, quæ facit ens ſimpliciter, & hoc ali-

quid

quid, altera accidentalis, quæ & præparat, & conseruat & instrumenti munere fungitur. Affectiones rerum communes sunt, quantitas, locus, tempus, & motus. Alia vero est Quantitas continua, alia Discreta. continuæ ratio est extra positio partis ad partem. Discreta vero nõ est ens rationis. Locus autem est, in quo entium quodlibet naturalium conseruatur, & manet, continentis corporis terminus, vel superficies. Tempus non est sine motu. Motus deffinitionem, qua dicitur, actus entis in potentia, quatenus in potentia, existimo quod vniuoce, ortum, & obitum, auctionem, & minutionem, delationem, & alterationem iure continere dicatur. Species autem naturalis corporis cœlum, elementa, mixta perfecta, pariter & imperfecta constituuntur; cœlum vero in orbem perpetuo circumfertur, elementa propria natura recto motu agitantur. mixta imperfecta per elementum, quod in eis dominatur. perfecta a seipsis mouentur. His positis, inferiora theonemata disputabuntur.

THEOREMATA.

1 *SCientia physica versatur circa ea, quæ initium intus positum motus, & quietis habent.*

2 *Horum fluxibilium eruit cognitionem, qua ratione æterna sunt.*

3 *Quid si dicam, qua fluxibiles res dicuntur?*

4 *Physica Aristotelis, si quis bene velit sentire, non potest dici absolute, & in totum scientia.*

5 *Fluxibilium rerũ causæ quaternario numero constãt.*

6 *Est enim Materia, ex qua per se omnia fiunt.*

7 *Efficiens, à quo fiunt.*

8 *Finis cuius gratia.*

9 *Forma, propter quam consistunt.*

10 *Materia sublunarium est essentialiter in potentia.*

11 *Proprium habet existentiae actum.*

12 *Materia caelestium est accidentaliter in potentia.*

13 *Est etiam proprio actu constans.*

14 *Efficiens non motum est Mens ipsa separata.*

15 *Efficiens motum est caelum ipsum latum.*

16 *Finis ortus est forma substantialis.*

17 *Finis orta rei est perfectum opus eius.*

18 *Substantialis forma rei facit ens simpliciter esse.*

19 *Accidentalis vero tantummodo secundum quid.*

20 *Quantitas continua est extra positio partis ad partem.*

21 *Locus est continentis corporis terminus.*

22 *Tempus, non manet absque motu.*

23 *Motus diffinitio, qua dicitur esse actus entis, &c. cunctis vniuoce motibus tribuitur.*

24 *Caeli latio perpetuo durat.*

25 *Elementa recto motu per naturam agitantur.*

26 *Mixta imperfecta ducuntur elemento, quod in iis denominatur.*

27 *Perfecta vero omnia à propria forma mouentur.*

DE

DE CONTEMPLATIONE MATHEMATICA.

GRADVS QVARTVS.

Ontemplatricem Philoſophiam tripartito ordine digeſtam, triplicem quoque habere rationem, vnam de diuinis, alteram de naturalibus, tertiam de mathematicis, ex ipſomet eorũ, quæ ſunt, ordine tradidere ſapientes. ex rebus enim aliæ omnino materia carent, ſeque pulcherrimè ſuſtentant, ac per ſe intelliguntur; cuius modi ſunt res diuinæ. aliæ nunquam ſeparari à materia, nec per ſe conſtare, intelligiue poſſunt; vt res natules, ac ſpecies, quæ materiam adiunctam habent; lignum videlicet, os, caro, & ſimplicia corpora, quæ etiam naturalia dicuntur, propterea quod à natura proximè prodeunt. Mathematica verò, quæ & ſeparabilia, & non ſeparabilia ſunt, intermedia vocantur. circulus enim trianguliqe, & reliqua generis eiuſdem per ſe ſine materia cohærere non poſſunt; quod in cauſa eſt, vt à materia non ſecludantur. veruntamen poſtquam ligneum, æneumue, aut lapideum circulum, atq; triangulum inſpexerimus, eorum formam à materia ſemotam animo comprehendemus, nõ ſecus, ac cera facit, quæ non materiem ſed formam trahit, cum à ſygillo imprimitur. dicentur ergo à materia non ſegregari, cum eam nos de illis opinionem conceperimus. Igitur cum ex ijs, quæ ſunt, alia omnino ſeparentur, alia penitus non ſeiungantur, alia tum ſeiungantur, tum à materia nihil ſemoueantur; meritò iſthæc poſtrema, contemplationem mathematicam cõſtituunt, quam mediam quoque puto dicendam eſſe ex ſubiecta quantitate, quæ vt me-

taphysicæ locum cedit, ita physicæ antefertur, præsupponunt quippe Physici subiectam quantitatem cum ratione cognitionis, tum ratione entitatis. Secundum quidem locum, dignitatis ordine, physicam obtinere, est censendum, extremum autem mathematicæ. etenim physicus differit de substantijs, & naturalibus corporibus, in quibus sunt stirpes, animaria, homo, & cœlum, quibus rebus nihil est infra intelligentias excellentius, atque nobilius. Mathematicæ vero disciplinæ in sola cognitione accidentium occupantur. agunt enim de quantitate, & his, quæ in quantitate insunt, affectionibus. excipio Astrologiam quæ versatur in contemplatione corporum cœlestium, de qua fatetur Aristoteles, quod speculatur astra; quanquam si rem subtiliter expendamus, ne ipsa quidem Astrologia attingit substantiam cœli, sed tantummodo in quantitate, figura, & proportionibus motuum cœlestium, non physico, sed mathematico modo pertractandis, occupatur. Quamuis enim figuras, & proportiones in substantia certa, nempe cælesti, meditetur, nullam tamen ex subiecta substantia demonstrationem ducit, sed ex apparentibus tantum, atque omnino ex obseruatione motuum; quapropter inter mathematicas potius, quàm inter medias numeratur. Medias dico Musicen, & Perspectiuam circa immobilia versantes, quatenus circa affectus quanti, qui ratione saltem à materia absolui possunt, non tamen quatenus à materia separati sunt, sed qua in certa materia: In Musica quidem proportiones in auditu, in Perspectiua lineas in visu. At, ne quidquam ad id pertinens prætereamus: quid est materia intelligibilis, à qua dicunt mathematica non absolui? Dicendum materiam intelligibilem in puris mathematicis esse quantum; & in Geometria quidem continuum, vt potè lineam, superficiem, corpus, quæ sunt subiecta figuris; in Aritmetica vero discretum, hoc est numerum, in quo proportiones, figuras, simplicitatem, compositionem, cæteraq; considerat. nec quicquam obest, quominus id Mathemati-

cus facere possit, substantiamq. omnem circũincidat, solo quanto relicto; quoniam, cum & figuræ, & numeri nullam certam sibi materiam optent, ab omni separari intelligendo possunt; cumque nullam à subiecta substantia Mathematicus demonstrationem ducat, neque ab eius affectibus sensibilibus hæc omnia demit, quoniam his non eget, neque etiam de sensibili linea demonstrat, aut de corpore sensibili, sed intelligibili, hoc est in intellectu, & phantasia existente. Igitur fit, vt quatenus mathematica non habent certam materiam, ab omni materia absoluantur intelligendo; quatenus vero in materia corporea habẽt esse, etsi à materia absoluuntur, non tamen à phantasia; quasi ab imagine quadam rerum sensibilium, ac materialium. Istis breuiter sic enarratis, theoremata, que sequũtur, erũt disputãda.

THEOREMATA.

1 *Mathematica est scientia contemplatrix.*
2 *Mediat inter Diuinam, & Naturalem.*
3 *Longitudines, latitudinesq; puncta, solida, plana, numeros, & figuras metitur atq; cõsiderat.*
4 *Mathematicus intellectus à materia sensibili se absoluit, non ab intelligibili.*
5 *Cogitatione enim abstrahit, atque ratione.*
6 *Secũdũ nos, et secundũ naturã prior est, quã Physica.*
7 *Media Mathematica sunt Musica, Perspectiua, & Astrologia.*
8 *Præcipua tamen, Musices, & Perspectiua.*
6 *Concernunt quippe materiam.*
10 *Astrologia verò magis spectat Mathematicam.*
11 *Huiusmodi facultas solam formam contemplatur.*

DE CONTEMPLATIONE MORALI.

GRADUS QUINTUS.

HAec Moralis Phylosophia est omnis diuisa in tres partes, quarum vna moralis, alia in rei familiaris ratione, tertia in Reipub. bene gerendæ prudentia continetur. Quicunque igitur in seipsum rectè quid fecerit, suosq; mores ornauerit, moralis dicetur; at qui domesticos instruxerit, rei familiaris peritus vocari poterit, qui vero ciuitatē vniuersā suis studijs ornauerit ciuilis appellabitur. in quo plures à vero aberrasse conspicio. inter libros enim ad mores attinentes, & eos qui de Repub. dicuntur oeconomicos mediare putarunt. cuius oppositum nempè libros de Repub. cum de moribus immediatè connecti Aristoteles in calce decimi moralium apertis verbis patefecit. neque vero existimandum est, vt plerique tradiderunt, ad libros de Repub. inscriptos, tanquam extremum, & finem cæteros referi. nanque in omnibus artibus, & disciplinis eam partem, quæ Theorica vocatur, longè aliis, præstare constat, presertim si virtute, & eminētia quadā alias includit; cuius modi pars ea de moribus respectu aliarum videtur. de qua præsenti parte phylosophiæ huius, qua mores conformari putantur, nobis dicendū, & primum de materie virtutum, hoc est, de animi perturbationibus, aperiendum. Nā de subiecto moralium, quo, tamen impropriè, gaudent ciuiles facultates, humanas actiones esse solum vniuerse considera tas, & quatenus homines per eas absolutè viri probi reddūtur. facillime percipitur. Perturbationes animi, quarū exactā deffinitionē tradere physicum munus cēsetur (ad ciuilē

enim

enim tantum attinet consideratio ipsarum ; vt virtute corrigendarum) minus rectè plerique dixerunt, perpessiones esse ab actione virtutis appetentis distinctas ; quippe varia consideratione ad obiectum in esse cognito relata, ad facultatem appetendi, & demum ad corpus viuens, tum perpessio, tum actio dici potest. sic autem perturbationum genus deffiniri, sapientes multo ante tradiderunt, vt sit motio appetentis sensuum facultatis ; nec non spirituum cordis ab obiecto, quod per vim imaginandi, vel iocundum nobis, vel molestum apparet, pro molestiæ vitanda, fruendaque iocunditate. Vbi apparebit manifestè lætitiam, mærorem, cæterasque alias perturbationes ad vim appetendi attinere. quæ nedum sensuum appetitui tribuuntur, verum etiam per similitudinem, & metaphoram humanæ menti, ac separatis mentibus, ipsi que Deo, quem irasci, pænitere, & misereri, dicimus. Sed & iumenta, feræq. perpessionibus huiusmodi, & motibus agitantur, atque omnino commouentur; licet vnus homo in hoc mortalium orbe præ cæteris, vt solus summi boni, ita solus deterrimæ miseriæ capax videatur. Agitur quippe vehementissimis, quæ in nobis excitantur, perturbationibus, voluptate scilicet, ira, desiderio honoris, timoreq. infamiæ : à quibus non rarò quidem ducitur, perditeq. conturbatur. sic trahunt suæ quemque voluptates; quibus, nisi quadrata virtute occurrendo obsistatur, improbi reddemur. Moralis virtus ea est, quæ habitus dicitur appetitionis sensuum, natus præeligere, in ea mediocritate, quæ ad nos reffertur, quæque à prudentiæ habitu definitur, collocatus; comparatus more, vt ciuili fœlicitate fruamur. per hanc fœlicitatem, summum hominis bonum, natum aptum ei competere in hac vita, dum incolarum more incedimus, cõsequi posse confidimus. His ita positis, quæ inferius habentur theoremata ad disputationem sunt proposita.

THEOREMATA.

1 *Philosophia omnis, quæ in actione versatur, est diuisa in Moralem, Familiaram, & de Republica.*

2 *Pars de moribus ei, quæ de Republica agit, immediatè iungitur:*

3 *Et est inter omnes præstantißima.*

4 *Subiecta materies moralis facultatis sunt humanæ actiones.*

5 *Ciuiles facultates subiecto impropriè gaudent.*

6 *Materies virtutũ moraliũ sũt perturbationes animi.*

7 *Quæ quidem exactè à naturali contemplantur.*

8 *Ut autem virtute corriguntur, sunt muneris moralis Phylosophi.*

9 *Eedem perturbationes, et affectus varia ratione actiones, & paßiones dicuntur:*

10 *Suntque Deo, nedum Homini, quodammodo & iumentis, attributa.*

11 *Homo solus deterrimæ miseriæ capax videtur.*

12 *Est etiam præ cæteris natus frui summo bono.*

13 *Moralis virtus est habitus appetitionis sensuum, natus præeligere; in ea mediocritate, quæ ad nos refertur, quæque à prudentiæ habitu deffinitur, collocatus; cõparatis more, vt ciuili felicitate fruamur.*

DE CONTEMPLATIONE RATIONALI.

GRADVS SEXTVS.

PRisci illi sapientiæ amatores Philosophiam admirantes, veluti spiritualem quandam imaginem, mundum, & vniuersas partes eius cunctis considerandi modis exactè, & miro ordine repræsentãtem, (idcirco enim animam vniuersa esse quodãmodo stagyrita docuit) scientifici munus esse putarunt omne quod est, siue ens naturæ dicatur, siue rationis, exactè contemplari. ac propterea facultates in speculatricem, Ciuilem, & Rationalem dispertiẽtes, quæ postrema in ente per intellectum elaborato versatur, quod phylosophiæ pars existat, scientiã esse dubio procul aprobarũt. Ita Stoyci, nempe Zeno Citticus, Crysippus, Eudromus & alij tradiderũt. Inde Alcinous in de doctrina Platonis post Stoycos, Platonem secutus, Philosophiã & ipse in Rationalem, Ciuilem, & speculatiuã secauit. quæ sane sentẽtia approbanda nullatenus videtur. Logica enim quam rationalem ipsi dicebant, nec Phylosophia; nec Phylosophiæ pars, aut sciẽtia vllo pacto cẽseri debet; quippeq; solũ versatur in ipsa instrumentorũ nuda cõstitutione scientijs tãtumodo deseruientiũ. propriè vero sumptas causas, affectionesq. subiecti, aut subiectũ ipsum ita nõ rimatur, vt scientiam, aut cognitionẽ ipsius consequi valeat. non enim in re naturali, vel in certa cognitione intellectiua rei necessariæ per demonstrationem versatur, sed in re degit per rationem constituta: neque eandem considerat, quatenus est vel quatenus illius pars est, quod verè est, sed solũmodo vt instrumẽtum assequendi aliud. nempe cum ens ter gemina

acceptione sumatur, primum, vt modo aliquo ens; tum, vt ens per rationem; postremo, vt instrumentum pro explican dis ijs, quæ verè sunt; Metaphysicus priori modo ens considerat; namque in his contemplationibus Diuinus occupatur quæ in ente versantur, quatenus ens est. Mox in secunda consideratione ad animasticum spectat ens rationis. nam, quid sit ens rationis, quatenus tale, quæ caussæ illius, proprietates, & alia sibi conuenientia, logicus minime percipit, sed Physicus. Vnde postrema superest eiusdem consideratio entis, quatenus videlicet instrumentum, logicum munus, & negotium. &, si ex modo considerandi, & ex natu ra considerationis consurgit propria conditio, & natura fa cultatis, patet ex his logicam instrumentariam magis esse dicendam, quàm rationalem facultatem. ad nullũ verò intel lectus habitum formaliter pertinere, eo ipso constare potest. instrumentariæ enim solummodo instrumenta parant, quæ in gratiam scientiarum expeti, dicuntur. Ita Phylosophus primo Topic. cap. i x. Problema dialectum deffiniens, his verbis patefecit. Problema autem dialecticum est speculatio intendens, vel ad electionem, & fugam, vel ad veritatem, & scientiam, aut per se, aut, vt adminiculãs ad aliquid aliud talium. idipsumq. paucis interiectis verbis clarius ibidem cõfirmauit, inquiens. Pleraq. enim ipsa quidem per se, non volumus cognoscere, sed aliorũ gratia, vt per illa aliud quippiam cognoscamus: quibus verbis ostendit, instrumentarijs facultatibus, præsertim verò logicæ, de qua sermo fit, finem vllum præcipuum, optabilemque per se nequaquam conuenire. Quod cum ita sit, cõsequens est, vt logica nec sit habitus intellectus per se expetibilis, neque Ars diiudicari possit, nisi reductiue. magis tamen artem puto quam scientiam diiudicandam esse secundum se, & in propria consideratione acceptam. Instrumentariæ enim facultates, artes ingenuæ, libero homine dignæ vocari solent, quia internus finis illarum est docere aliquid efficere. logicæ enim finis est modum præbere efformandi instrumenta sciendi, quæ sunt

diffi-

deffinitio,& demostratio. Antiquam autē Logica diuisionē habet, pulcram sanæ illam, nec minus vtilem, atque explicatu facilem, à quibusdam tamen huius ætatis viris paruifactam penitusq. reiectam. quod quàm insuaue fieri contingat, vel eo maxime constare velim, quod nedum ipsa instrumentorum effectio, verum etiam & ipse vsus ad logicā attinere videntur: hinc nimirum intelligi potest, rectene, an minus, distingui logica possit in eā, quæ docet, & qua vtimur. Ac illud in primis apertum est omnibus, ipsam instrumentorum logicalium effectionem ad logicam attinere, cū eius proprius ac peculiaris finis sit instrumenta parare scientijs. illud etiam neminem latere potest, aliquem instrumentorū vsum ad logicam pertinere; neque enim aliter scientijs notitia rerum contingere potest, quam instrumenta deffiniendi, & demostrandi scientijs applicando. Verum is vsus non distinguitur realiter à facultate logica instrumenta docente, cum vna & eadem perseuerans, æque bene vtrumque valeat præstare, & instrumēta parare scientijs, & eisdem inseruire. Ex quo constat error illorum, qui logicam partientes in docentem, & vtentem, asseruerunt omnes docentem esse scientiam, vtentem verò nequaquam; cum oppositum sit dicendum. Nam quatenus instrumenta parans, & docens, instrumētaria, quatenus vtens, hoc est, quatenus iuncta scientijs, scientia dicitur esse. sed hoc ipsum extrinseca tantum denominatione dictū esse volo. neq. enim assentimur illis, qui eam vtentem logicam transformari tradunt substantialiter in scientiam, cui applicatur; ita vt physica sit si physicæ applicetur, Mathematica si Mathematicæ. Logicæ.n. negotium est logica perseuerans instrumenta parare scientijs, eisdemque inseruire actu, explicatis. Quamobrem in disputatione inferiora Theoremata sustinenda erunt.

THEO-

THEOREMATA.

1 *Stoici enumerantes facultatem logicam inter Phylosophiæ partes falsi sunt.*
2 *Ipsa enim nō est Phylosophiæ, aut sciētiæ pars.*
3 *Tota verò insumitur in contemplatione entis per intellectum elaborati.*
4 *Cuius non rimatur causas, principia, aut affectus.*
5 *Sed, prout rationi obijcitur, cuiusdam modi sciendi.*
6 *Non versatur itaque longicus in re vlla naturali.*
7 *Neque ipsius cōsideratio est necessaria rei per causā:*
8 *Nemo igitur dicat rationalem potius, quàm instrumentariam dyudicandam fore logicam.*
10 *Preterea non est habitus intellectus.*
11 *Nec vllum per se expectibilem finem habet.*
12 *Potest quodammodo Ars quædam nuncupari.*
13 *Quoniam ad Artē magis, quàm ad sciētiā inclinat.*
14 *Propterea enim eiusdem finem constituunt Demonstrationis, & Deffinitionis constitutionem.*
15 *Partitur logica verè in eā, quæ docet, et quā vtimer in scientijs.*
16 *Hæc posterior fortasse scientia dici posset.*
17 *Prior verò nequaquam.*

Omnia Theoremata hęc superiora ad disputationem proponūtur pro Die Mensis Maij, in Ecclesia S. Petri ad Vincula; Romæ. 1588.